

*Carmina*

di Domizio Falcone

F. 20 r.

*Ad Paulam*

Deliciae, mea Paula, meæ, mea vita, meum cor,  
Lux mea, mi geminis carior his oculis,  
Quid me ab amore tuo deductum credula ploras?  
Ah peream si te carior ulla mihi est.  
Mene ab amore tuo, nobis quam semper amari  
Semper Amor iussit matris ab uberibus?  
Ille tuus Falco, ille tuus tibi serviet annos  
Tertia quos illi vivere Parca dabit.  
Te quocunque sequar nec me via longa nec ipsa  
Omnia quæ solvit mors tibi dissolvit.  
Parce genis, ah parce comae, mea Paula, tuosque  
Ne lacrymis turba lumina nostra oculos.

*Priapus ad figulum*

Immensas tibi gratias habemus,  
Optime o figule omnium magister,  
Qui tantam mihi mentulam dedisti  
Ut possim futuendo te irrumare  
Si quando invenero te in hoc agello.

F. 20v.

*Priapus*

Quonam quo ruitis? Iam abite, fures.  
Non hic sunt violae, rosaeve Pesti,  
Non hic lilia luteæque caltæ,  
Non hic somniferum viret papaver  
Non arbor variis granata pomis,  
Furcillae petit hic opem salignæ,  
Erucae hoc minimo virent in horto,  
Quibus me facio salaciorem,  
Et, quas si cupitis dabo, mariscæ.  
Quare hinc si sapitis iam abite, fures.

*De Minoe et Pasiphae*

Quaerebat Minos natus foret unde biformis.  
 Uxor ait: "Patris terga habet ille tui".

F. 21r.

*Osculum puellæ*

Dum me basiolo puella, quale  
 Nec prebent maribus suis columbæ,  
 Vix tandem prece mota suaviatur,  
 Lactens purpurea illius labella  
 Tantum hausit ambrosiaeque nectarisque  
 Ut ni me miserum ante perdidisset,  
 Dum votis mihi millies cupitum  
 Negat suaviolum diu puella, im-  
 Mortalis poteram, deusque haberi.

*Ad sodales*

Cæsar Forti, Iacobe, Glauce, Alexi,  
 Alvisi Pare, Balthasar, Nearchæ,  
 Agnelle et Vigili mei sodales,  
 Discedo in patriam, ut meos parentes  
 Fratremque unanimum meum et sororem  
 Visam. Sic pietas iubet, valetè.  
 Crudelis poterisne abire, Falco?  
 Quid miser faciam? heu miser, puellæ  
 Me mixtæ lacrymis preces morantur.  
 Discede, impie, quid morare Falco?  
 Videbon tumidos puellæ ocellos?  
 Videbo et patiar genas madentes?  
 Quid frater mihi, quid pater, sororque,  
 Quid mater? Valeant et illi et illæ  
 Dum cara liceat frui puella.

*In urna in qua prius cineres, mox violæ*

Virgineos olim cineres hec urna tegebat  
 Olim cum abiecto pala loco reperit.  
 Ut Paulæ tetigere manus, lacrymæque rigarunt,  
 Purpureas subito protulit hæc violas.  
 Quas non ungue licet cuique tetigisse profano  
 Admitit castas virginis urna manus.

F. 21v.

*Epitaphius psitaci*

Cuius erat minio par rostrum, pluma smaragdo  
Voxque hominum, eous psitacus hic iaceo.  
Causa necis dolor est, nam ne vox garrula somnos  
Turbet heri, e thalamo iussus abire, obii.  
Flevit herus, meque hoc pro dulci carmine carmen,  
Pro thalamo hunc tumulum gratus habere iubet.

*Ad puellam*

Quis nos, quis Deus hic bene advocatus  
Iunxit unanimes duos amantes?  
O memet mihi carior puella,  
Da mi suaviolum micante lingua,  
Collo brachia da puella circum,  
Da mi basiolum alterum puella,  
Ut Venus iubet, ut iubet Cupido,  
Iunge te lateri usque et usque nostro  
Ne vestigia lectuli parentes  
Attriti videant et hic et istic.  
O factum bene, o beate Falco,  
Tuo nunc gremio silente nocte  
Optatam toties foveas puellam.